

JESUITARUM ROTHOMAGENSIIUM THESES THEOLOGICÆ DE GRATIA.

10 Januarii A. 1698.

I.

GRATIA, si vocis originem spectes, omne illud est, quo quid gratum efficitur: usum si attendas, venustatem, benevolentiam, favorem, beneficium, sive exhibitum, sive redditum, munus, idque gratuitum significat: postremo hoc sensu accipitur a Theologis, quibus gratia Dei idem est, ac Dei donum. Gratia igitur proprietates ex notis doni proprietatibus definiendæ. 1. donum naturam supponit, cui conferatur, jam existentem; neque enim donum dono ipsi datur: accurate loquendo creatura, Dei opus est, non Dei donum, nisi quatenus in creatura alterius commodum creatur. Sic gratia non substantia, sed substantiæ modus est. 2. Gratia modus est, naturam perficiens: donum quippe, ex sua conditione, & dantis intentione, prorsus inutile, aut noxium, donum non efficit. 3. Gratia modus est, naturæ, quam perficit, indebitum: nil donat, qui debitum solvit: *Si gratia ex operibus, jam non est gratia*. 4. Gratia naturæ tantum intelligentis modus est: quis scio dare se aliquid lapidi profiteretur? Acceptio, saltem interpretative libera, & benevola agnitio, ad doni rationem pertinent: quæ duo a natura intelligente dumtaxat præstari possunt. Gratia causa efficiens, Deus: instrumentalis quandoque creaturæ, finalis gloria Dei, creaturæ perfectio: occasionalis, Christi tum capitis, tum Salvatoris dignitas, merita, preces: cave sed enim, ne gratiam aliquam sic asseras Dei esse largientis, ut non sit Christi promerentis, & obtinentis. Christus est *Primogenitus omnis creaturæ, in quo condita sunt universa; Caput corporis Ecclesiæ; finis Divini operis; omnem in se sanctificans creaturam; Sacerdos idem, ac Deus, patrem Divinæ majestati cultum exhibet, amori immenso dignum proponit objectum, infinitam boni copiam in se recipit, refundit in suos*. Christum propter se, cætera propter Christum vult Deus: Angeli, homines ideo creati, ut haberet Christus sui similes, quibus benefacere posset.

II.

GRATIÆ divisionem accuratam sic institue. Gratia alia est Capitis, scilicet Unio Hypostatica; alia membrorum. Gratia membrorum alia est patriæ, visio beatifica; alia viæ. Gratia viæ alia est naturalis, quæ causarum secundarum ministerio, absque extraordinaria Dei operatione, confertur; alia supernaturalis, quæ extraordinariam Dei operationem requirit. Hæc immediata, illa mediata dicitur. De Ente supernaturali obiter statuimus; naturale illud dici, lata significatione, quod naturæ convenit, illamque exornat; quo sensu opponitur violento: 2. strictius accepta voce, naturale illud est, quod rei natæ innatum est: sic naturalis dici potuit Adami conditio; quatenus acquisita non erat; naturale etenim hoc secundum sensum opponitur acquisito: 3. proprie loquendo, naturale illud est, quod naturæ debetur, quod natura aut habet ex se, aut propriis viribus acquirere potest: quo solum sensu natu-

rale opponitur supernaturali. Hinc sequitur 1., supernaturale illud esse, quod exigentiam, aut saltem vires naturæ superat. 2. nullam esse substantiam supernaturalem. Hinc 3., modum illum supernaturalem esse per accidens, qui vires, non exigentiam naturæ, superet; per se & in entitate modum esse supernaturalem, qui & vires, & exigentiam naturæ superet. Hinc 4., supernaturalem esse modum, qui vires causæ secundæ præsentis superat, licet forte vires causæ secundæ cujuscumque non superet. 5. proprietates naturæ superioris esse naturæ inferiori per se, & absolute supernaturales.

III.

GRATIA supernaturalis, ac similiter naturalis dividitur in exteriorem, & interiorem. Exterior dicitur, quæ mentem ipsam non afficit, ac interioris gratia causa est extra nos posita: Puta Christum, Sanctorum communionem, singularem Dei providentis curam. Rursus interior gratia dividitur in gratis datam, & gratum facientem: discrimen utriusque in eo situm est, quod gratia gratum faciens subiecto suo aut sanctitatem conferat, aut sanctitatis obtinendæ possibilitatem. Gratis data nec inter se, nec cum sanctitate subiecti ullam connexionem dicant, jam gratia gratis data quædam est aut scientiæ, aut potentia Divinæ communicatio; & maxime in alterius aut opulationem, aut eruditionem a Deo tribuitur: hujus decem veluti species enumerantur ab Apostolo epist. ad Cor. I. cap. 12. Sermo sapientiæ, seu donum fidei mysteria ex causis erudite demonstrandi; sermo scientiæ, seu donum eadem mysteria probandi ab effectibus; fides, non quæ virtus Theologica sit, non in miraculis patrandis fiducia, ut Theologis quibusdam placuit, sed donum mysteria fidei, absque eruditionis, & eloquentiæ apparatu, simpliciter, sed explicite, & apposite ad persuadendum, tradendi. Gratia sanctorum, Prophetia, donum linguarum quid sint, notum est: operatio virtutum idem est, ac miraculorum, seu potius prodigiorum vis effectrix: discretio spirituum donum est, quo motuum diversarum, quibus mens humana continuo agitur, origo manifesta sit: interpretatio sermonum donum est sensus librorum, alioquin occultos, manifestans: gratia gubernationum est gratia ordinis, jurisdictionem conferens. Gratia gratis data jultis vulgo, peccatoribus quandoque tribuuntur; nunquam tamen in erroris testimonium.

IV.

GRATIA gratum faciens, alia habitualis, actualis alia: inter habituales alia per se sanctificat, ut de habitu caritatis suo loco probabitur; alia ad sanctitatem preparat tantum, ut fidei, speique habitus. Gratia actualis plura fortitur nomina, operantis, & cooperantis, excitantis, & adjuvantis, prævenientis, &c. quæ nomina non plures actualis gratiæ species, sed diversos ejusdem gratiæ effectus, respectusque indicant:

ope-

VII.

operatur, excitat, prævenit, cum voluntatem movet; cooperatur, adjuvat, cum voluntas mota consentit. Dividitur porro in gratiam illuminantem, & gratiam inspirantem: illa in cogitatione consistit, hæc in affectu, divinitus indito. Celebris gratiæ actualis divisio in gratiam efficacem, & gratiam sufficientem, de qua divisione toto secundo libro dicitur: divisiones gratiæ in gratiam vocationis, justificationis, & perseverantiæ; in gratiam vocationis congruam, & incongruam, in gratiam hominis puri, elevati, lapsi, suis locis explicantur.

V.

DUO errores circa gratiam, contrarii, Ecclesiam turbaverunt, Pelagianus, & Prædestinarianus: Pelagiani erroris originem investiganti supra Theodorum Mopsuestenum nihil occurrit, quanquam a Paulo Samosateno, immo a Judæis petendam, admodum probabile sentiam. Rufinus, natione Syrus, diversus ab Aquilejensi, delitescens in Oriente errorem transtulit in Occidentem primus: Pelagius, Cælestiusque disseminarunt. Horum doctrinam, in varios errores late patentem, duplici propositione, breviter, & clare includit Augustinus: *Naturam hominum neque in parvulis medico, quia sana est, neque in majoribus gratia adjuvatio egere, quia sibi sufficiens est ad justitiam*. Nascentem hæresim Africana Concilia, Sede Romana approbante, & universalis Ephesina Synodus extinxere; jam telis Augustini confosam. Revixit tamen in Massiliensibus, qui, quantumvis errorem damnatum emollire, & dissimulare, faterentur, dum in natura aut vim, aut saltem meritum ad gratiam obtineadam agnoscunt, Pelagiani agnoscuntur.

VI.

HÆRESIS quoque prædestinarianæ & rigidis, & molliores habuit sectatores. Rigidos in Wiclefo, Luthero, Calvino: Molliores, in Goteschalco, Bajo, & Janenio. Priores liberum arbitrium peccato Originali preceptum funditus; Voluntatem gratia sic agi, nihil ut agat, immo, dum gratia bonum in ipsa sine ipsa operatur, voluntatem peccare, impie magis, an absurde docuerunt? Janenius, voluntatem sub gratia agere, falsus est; sed quatenus agit. Quare licet Lutheri, & Calvinii principium, ut Semipelagianum Pelagianum errorem, emollierit aliquatenus; in conclusionibus cum Luthero, Calvinoque consentit, asserens, gratiæ nec resisti hoc in statu unquam; nec resisti posse: Christum vero, & proprio sensu pro omnibus mortuam non esse: necessitatem inevitabilem nec libertatis, nec merito quicquam officere: Peccare nos in eo, quod cavere non possumus: Præcepta Dei impossibilia esse justis, volentibus, & conantibus secundum præsentem, quas habent, vires; deesse quoque gratiam, qua possibilia fiant. Tot in errores, non casu, sed livore malo, & consilio Lessii, tanquam Semipelagianum traducendi, delapsam Janenium, ipse testis est in Epistolis, ad Abbatem S. Cigiranni scriptis, quarum Autographa in Parisiensi nostro Collegio servantur. Manet interim, æternumque manebit prima Sedis judicium, & quo Lessii doctrina sana, & quo Janenii commenta falsa, hæretica, impia, blasphemata, universa Ecclesia applaudente, pronuntiata sunt.

IX.

UNA gratiæ definitio, fide certa, satis confutatur Baii, & Janenii paradoxum, vel in terminis pugnantem, *gratiam primæ conditionis nature integritati debitam fuisse*: Quasi vero immortalitas corpori, scientiæ, sanctitati, Dei propriæ, insusio menti creatæ naturalis sit, aut creaturæ jus ullum ad Creatoris felicitatem ex se competat. Non ita est, natura servi sumus, & servi inutiles: mancipii porro vel cum se, suaque omnia, Domini causa, profuderunt, nulla debetur merces: quod debuerunt, hoc fecere: D d d nec

nec quicquam Divinae equitati officeret, si nati ad fervendum aeternum ferviremus: durum hoc superbiae humana; sed quis ex tu, o homo? an non habet figuram potestatem? Quid, quod servare Deo regnare est? Itaque possibilis status, quem purae naturae appellant. Potuit homo nasci, nec peccato infectus, nec ornatus gratia: quo in statu non primum supernaturale proponeretur, non merita supernaturalia requirentur, non concederentur auxilia supernaturalia, non inesset homini beatitudinis supernaturalis desiderium: proponeretur beatitudo naturalis, legis naturalis observatione comparanda. Hunc statum imperite Bajani negant, non Augustinus: eundem imperite describunt aliqui; nemo quippe mihi persuaserit, sub Deo iusto bonis male unquam futurum fuisse, aut concupiscentiae rebellionem homini naturalem esse: utile sit, rationem affectu preveniente excitari, & commoveri: rationem affectu repugnante conturbari, & impedire, malum est, & Deo auctore indignum. Illud demonstravit Augustinus; approbavit Gelasius Papa, Constitutione adversus Senecam Pelagianum; innuit, post Apostolum Joannem, Tridentina Synodus, post sanctum Thomam libro 4. contra Gentes, cap. 12. & 1. 2. q. 82. art. 3. Schola nominalium integra, pluresque e nostra etiam Societate Theologi, tradidere. Naturae purae nomen gratiam ab eo statu omnem excludit. Necessaria esset cura Dei providentis, ut corporis structurae nihil decederet, ut boni bene, mali male haberent; causas secundas regens, bene agendi occasiones, documenta, exempla subministrans, impedimenta removens. Verum homini innocenti debita foret, quae, reo nunc gratis impensa, naturalis gratiae rationem habet.

X.

STATUS purae naturae ita possibilis, ut nunquam futurus fuerit: Quod melius esse, recta ratione intellexeris, hoc factum a Deo, ne dubites; convenientius fuit, naturam humanam in statu supernaturalem elevari: elevata est: Deus, quos servos habere poterat, filios habere, voluit, & felicitatis propriae, immo & naturae consortes. Adamo nascenti datum in affectus imperium efficacax, fides, spes, caritas infusa; concessa, praeter corporis conditionem, immortalitas; tot ornatus donis, quamquam actuali Spiritus Sancti illustratione aliquando indigerit, non eguit inspiratione, qua voluntas nostra moveretur, pia cogitatione alioqui non movenda, propter concupiscentiae resistendam: quicquid Augustinus de duplici adjutorio disseruit, huc recidit. Primo parenti tantae felicitatis perpetuitatem, in posteros transmittendam, unius pomi abstinentia constare, voluit Numen optimum; qui nec cum Adamo benignius agere poterat, nec tutius consulere nobis, quam parenti, tot instructo praesidiis, causam nostram committendo, tam facile obtinendam. In voluptatibus modum tenere, quam difficile sit, quam facile, inter prospera Dei, sui que obrepat oblivio, funesto sane exemplo, jam tum

patuit: peccavit Adamus, in quo capite, tutore, ac procuratore suo, omnes peccaverunt; peccasse animas, antequam venirent in corpora, fabula ingeniosa profecto; at fabula est. Peccasse humanum genus, Scriptura, Traditio contestantur, ratio demonstrat. Infans miser est: ergo reus non actualis culpa; ergo originalis: Pelagianum interrogo, unde in nobis tam immanis boni desiderium, tanta boni ignorantia, tanta virtutis admiratio, tantus vitii amor, tantus sciendi ardor, tanta discendi difficultas? Cur mens fervit corpori? An Dei invidi, aut impotentis creatura sumus? Fateatur, efficax corruptionis nostrae argumentum duci ex miseria, bonis, & malis communi, ex concupiscentiae insultibus, ex perturbato, & rectoris Dei sapientia indigno, rerum statu, ex ingenio pristinae dignitatis sensu, & praesentis abjectionis pudore.

X I.

PECCATI Originalis naturam alii aliter explicant; non est peccatum solius Adami, ut placuit Catharino, & Pelagio aliquando placuerat: sententia Illyrici, peccatum Originale esse substantiam, omnem absurditatem excedit. Non consistit in concupiscentia, sive rebelli, ut vult Lutherus, sive dominante, ut mavult Janenius; Baptismo quippe sic deletur, ut non reviviscat; ac praeterea concupiscentiae rebellio peccatum consecuta est; non est ipsa peccatum. Pœnam quoque peccati cum peccato confundunt, qui in privatione iustitiae originalis illud collocant: nec reatus ea carendi peccatum est, sed peccato contractus fuit: Peccatum Originale est peccatum uniuscujusque nostrum in Adamo: adversa sententiae cum nostra, si haereticas exceperis, nullo negotio conciliantur. Dic, peccatum Originale esse concupiscentiam effrenam; dic, esse habitualem conversionem ad bonum sensibile, ab Adamo peccatore in nos traductam; dic, esse privationem iustitiae originalis, connotantem Adami peccatum; dic, reatum esse carendi omni gratia, peccato Adami contractum; dic, esse Adami peccatum, nobis merito imputabile; dic, esse injustitiam originalem; dic, esse hæc omnia simul conjuncta: non male locutus eris: accuratius loquimur. Hinc nascitur filii ira, spoliati, vulnerati: manet interim in nobis liberum arbitrium, viribus licet attenuatum, & imminutum, atque in sensibile bonum præcepit. Hoc, nisi gratia Dei fanetur, in negotio salutis nihil posse, fide certum est.

Harum Conclusionum veritatem, Deo duce, & auspice Deipara, propugnabit.

JOANNES CLAUDIUS LE LOUVETEL,
Rothomagensis.

In Aula Collegii Archiep. Borboni Rothom. Societatis JESU, die Veneris, 10. Januarii. 1698.
hora sesqui-secunda.

JESUITARUM CADOMENSIIUM THESIS DUÆ.

Alteræ 13. Maji, altera 15. Junii 1699.

JESU CHRISTO,

AUCTORI GRATIÆ, THESES THEOLOGICÆ

De gratia sufficienti, & efficaci contra Prædestinatianos.

GRATIA actualis præveniens supernaturalis, qualis adversus Pelagianos a nobis agnoscenda est, ut simpliciter necessaria ad meritum, sive de condigno, sive de congruo, consistit in illustratione ex parte intellectus, & in inspiratione ex parte voluntatis. Illustratio autem, & inspiratio sunt actus animæ indeliberati, ab homine vitaliter, a Deo libere producti, per elevationem duntaxat intrinsecam. Porro talis gratia est in entitate supernaturalis, & ipsis quoque iustis necessaria ad bene agendum, ut oportet ad salutem, etiam quatenus est motio ex parte voluntatis.

NEGARI non potest, salva fide, gratia mere sufficienti, quæ effectum non habet; & impie loquantur qui ejusmodi gratiam appellant gratiam monstrum singulare, aut gratiam diabolicam. Hæc doctrina Catholica concluditur ex duobus antecedentibus, quæ sunt, veluti totidem effata, evidenter in Scripturis, Conciliis, & a Patribus tradita. Primum est: vult Deus, omnes homines salvos fieri, voluntate antecedente, & conditionata; eaque sincerissima, licet plerumque inefficaci. Alterum est: Christus mortem suam obtulit Patri pro omnium, & singulorum, etiam reprobatorum hominum, æterna salute.

DEUS itaque providit per Christum idonea omnibus media salutis consequendæ, quibus sæpe voluntas humana resistit; scilicet Judæis, infidelibus, peccatoribus obduratis, ipsis parvulis, seu peccatorum dierum hominibus, ut loquitur Prosper, immo & abortivis. Hæc fidei Christianæ dogmata propugnavit variis in locis Sanctus Augustinus, præsertim cum ait in libro de correptione, & gratia, capite septimo: O homo, perseverare, si velles. Hinc Catholicorum partes non satis tuerentur, qui mentem Sancti Doctoris prævis interpretationibus alium in sensum detorqueere conantur.

AUXILIUM sufficiens, quale Prædeterminantes admittunt, vere sufficiens non est; videtur enim ex terminis illud non sufficere ad actionem ponendam, ultra quod necessario requiritur aliquid aliud. Existit aliquando in rerum natura Prædestinatianorum hæresis, quidquid dicant Novatores. In eo maxime posita est, quod assererent, Deum aliquos ita ordinare ad vitam æternam, ut necessitet ad bene operandum; alios ita excludere, ut ad malum necessitet; quæ est opinio Calvinii, & Novatorum. Ex Augustini libris, male intellectis, sumpsit initium, ut colligere possumus ex diffensione monachorum Aduemeti.

DUOS in Gallis motus insignes excitavit hæresis ista. Prior fuit in causa Lucidi: hunc tanquam Prædestinatianum, Fautus, nomine Serry Tom. II.

nodi Arelatenfis, admonitum, ut respiceret, iustitiam, priora dogmata damnare: quod & fecit, mittens ad Patres Concilii suam tractationem. Posterior tempestas mota est per Gotschalchum. Ille, peragratis multis regionibus, exitiosa femina, factor pessimus, feminans, Moguntia primum damnatus est. Deinde ad Hincmarum ductus, in Concilio Carifaco dejectus presbyteratu; & virginitate tamdiu cæsus est, donec, admoeto igne, collectionum suarum libellum absumeret: quæ castigatio poena fuit secundum Canones Agathenses, & regulam Sancti Benedicti, impudenti hæretico legitime inflata.

GRATIA efficax, quantumvis invicibilissima, & omnipotentissima prædicatur, non ita movet hominem, ut non possit huic motioni resistere; neque est delectatio victrix, cui necesse sit, hominem assentiri; neque est physica prædeterminatio: hæc enim omnia cum libertate pugnant: neque etiam dici debet prædeterminatio moralis propter specialem congruitatem: sentiunt omnium optime, qui gratiam efficacem, materialiter sumptam, physice, & in entitate, nihil differre volunt a sufficienti, sed moraliter tantum, & in ratione beneficii, quatenus datur a Deo ex prævisione futuri consensus, & ex speciali affectu, ut consensus sequatur.

GRATIA igitur non constituitur efficax per ipsam solam positionem effectus; quia antecederet ad effectum positum, & in actu primo, efficaciam habet, seu connexionem cum effectu infalibilem, non intrinsecam illam quidem, sed extrinsecam, quam accipit vel a futuritione conditionata effectus, ex suppositione gratiæ, vel præscientia, talis futuritionis conditionate, vel a decreto dandi hujusmodi gratiam, a quo præsertim decreto hoc etiam habet gratia efficax, ut sit speciale beneficium. Hinc patet, quo sensu, & quam vere dicat Sanctus Augustinus, hanc gratiam a nullo duro corde respui, esse insuperabilem &c.

RATIO conciliandi libertatem cum gratia per scientiam conditionatorum, & efficaciam gratiæ extrinsecam, Molinae nec somnium, nec inventum est, ut quidam dolo malo fingunt. Ea doctrina multis in locis iudicia multa subit, & ubique habuit præclara innocentie testimonia, ubique victoria defensusæ palmam obtinuit. Hanc vero scientiam in Deo existere, prout est præcisè rerum, sub conditione futurarum, nemo, nisi temere, negare potest post clara Scripturæ testimonia, apertaque Patrum sententias: eamque jam admittunt illi ipsi, quos initio species quadam novitatis terruerat; satanturque ultro, non sufficere scientiam conjecturalem.

NE tamen magnæ lites unquam fecerunt, scientiam conditionatorum nonnulli ita describunt, ut jam non eadem sit, quam Scriptura innuat, & Patres tradidere; pendere enim volunt a decreto quodam prædeterminante, & ex parte objecti conditionato, quod quidem decretum intulit, contrarium libertati, & impossibile est. Conformis ergo sensui communi, & magis digne Deo sentiunt, qui scientiam illam faciunt a decreto hujusmodi independentem, contenduntque, decretum Dei absoluta a scientia conditionatorum potius

pendere, ut post Augustinum, aliosque Patres, sapienter declarat Angelicus Doctor. *Has Theses, Deo duce, & auspice Deipara propugnabit*

JOANNES BAPTISTA DU HAMEL, Bajocensis. *Die Mercurii, 13. Maji, anno 1699. hora tertia cum media pomeridiana.*

In Regio Societatis Jesu Collegio, Celeberrimæ Academiæ Cadomensis.

Pro II. Exercitatione Publica. Cadomi, apud JOANNEM CAVELIER, Regis, & Academiæ Typographum.

8. THESES THEOLOGICÆ.

De peccato originali, de gratia actuali, de justificatione, de merito, de prædestinatione, ac reprobatione.

In causa duorum hominum, quorum per unum venundati sumus sub peccato, per alterum redimimus a peccatis; per unum præcipitati sumus in mortem, per alterum liberamus ad vitam, proprie fides Christiana consistit. AUGUST. libro de peccato originali, capite 24.

FIDE certum est, dari peccatum originale, ab Adamo in posteros, non exemplo tantum, aut imitatione, sed propagatione transmissum; estque verum, ac proprie dictum peccatum. Quid vero sit, gravis est controversia. Nullo sensu propugnari potest, si velimus accurate loqui, concupiscentiam, seu difficultatem reſiſti, qua laborat homo in hoc statu naturæ lapsæ, esse ipsum peccatum originale: sed neque essentia peccati originalis in privatione gratiæ sanctificantis consistit. Est ergo peccatum originale ipsummet Adæ peccatum, quatenus a posteris moraliter commissum in parente, intrinsece, ac moraliter in illis perseverat, donec per baptismum deleatur.

PROPAGATUR peccatum originale, non physice, seu ex natura rei, sed moraliter, seu ex pacto Divino, voluntates posterorum transfundente in voluntatem solius Adami; non in ordine tantum ad habendam, vel non habendam justitiam, sed etiam ad observationem, aut transgressionem præcepti; pertinetque ea res ad perfectissimum in voluntates humanas dominium Dei exaggerandum. Nemo est ex genitibus, vel gignendis ex Adamo per viam naturalem, qui non peccaverit in Adamo, in quo omnes peccaverunt; sicque contraxerit debitum peccati originalis. Quamvis fide non constet, est tamen judicium prudenter certum, Deiparam Virginem fuisse sine macula originali conceptam.

PER peccatum originale homo non est laesus in bonis naturalibus, v. g. in libertate indifferentiæ, & similibus; nunc enim habet eandem facultates naturales, quas haberet in statu naturæ puræ. Hinc, D. Dionysio docente, in Angelis post peccatum remansisse omnia naturalia integra, concludit Angelicus doctor, idem esse dicendum de homine. Parvuli, decedentes cum solo originali, puniuntur poena damni, non sensus. Immo D. Thomas distinctione 33. & questione 5. de malo, ac D. Bonaventura distinctione 33. cum utraque schola, Thomistica, & Scotistica, aliique insignis notæ Theologis, docent, hosce parvulos nullam possuros esse tristitiam ex carentia visionis Dei: quidquid contra communem hanc doctrinam opponatur.

GRATIA, stricte, & Theologicè sumpta, ut est aliquid commune respectu gratiæ seu actuali-

lis, seu habitualis, bene definitur, Donum Dei, tam physice, quam moraliter naturæ creatæ indubitum; contra ac sentiunt quidam Novatores, qui Angelis, & hominibus in statu naturæ integræ ita debent gratiam existimant, ut sine illa creari non poterint; in quo non satis recedunt a Pelagianis, quos tantopere in speciem oderunt. Nam & Pelagianorum error fuit, dari gratiam secundum merita: ea vero merita moralia sint, ac physica, nihil sane interest ad gratiam Dei evacuandam. Hinc recte sequitur, Deum absolute creari potuisse homines sine donis gratiæ supernaturalibus.

NATURA hominis, quantumvis libera, ad salutem consequendam sibi ipsa minime sufficit, etiam doctrina legis, & Christi Domini exemplo adjuncta, indigetque interiore quodam auxilio Spiritus Sancti, quod actuale sit, & supernaturalis. Gratia igitur per Christum omnino necessaria est tum ad ea cognoscenda, quorum notitia per se ad salutem conducit, tum ad salutariter operandum, tum ad tentationes quasumque superandas, sicut oportet ad salutem, tum ad perseverandum in bono: nec tantum ad consummandam salutem naturam impotens est, verum etiam ad ipsum salutis initium, ut olim definitum est in Concilio Araucano secundo adversus Semipelagianos.

POTEST tamen homo quilibet, rationis compos, sine gratia interiore, & supernaturali, aliquas cognoscere veritates; quædam exercere opera moraliter bona; leves vincere tentationes; nonnulla vitare peccata; ipsum amare Deum amore naturali super omnia: hinc omnia infidelium opera non sunt peccata. Quamquam autem, habita ratione naturæ humanæ, viriumque naturalium, prædicta bona præstare potest homo sine gratia interiore, & supernaturali; nunquam tamen hæc potentia reducitur ad actum, sine speciali aliquo Dei dono, quod sit gratia gratis data, & efficax, & naturalis ordinis. Certavit præcipue Divus Augustinus cum Pelagianis de necessitate gratiæ actualis, non vero habitualis.

HÆC propositio; Gratia est necessaria ad initium fidei, videtur non pertinuisse ad fidem, idest, ad obligationem credendi hanc propositionem; nec ejus contradictoria, quæ fuit error Semipelagianorum, fuisse damnata, ut aper-

te hæretica, ante Sancti Augustini obitum. Gratia actualis præveniens supernaturalis, qualem hic agnoscimus, includit illustrationem ex parte intellectus, & inspirationem ex parte voluntatis: illustratio autem, & inspiratio sunt actus animæ indeliberati, ab homine vitaliter, a Deo libere producti; & quidem per elevationem duntaxat intrinsecam. Porro talis gratia non est tantum in modo, sed vere in entitate supernaturalis.

NEGARI non potest, salva fide, gratia mere sufficiens, quæ effectum non habet. Hæc Doctrina Catholica concluditur ex his duobus antecedentibus: Deus vult, omnes homines salvos fieri: Christus mortuus est pro omnibus. Quæ quidem duo Christianæ religionis efata propugnata, non sensu Pelagiano, aut Semipelagiano, aut Prædestinatio, sed in sensu, evidenter in Scripturis sacris, in Conciliis, & Summis Pontificibus, ac Patribus tradito. Deus itaque providit omnibus hominibus gratias, seu proxime, seu remote sufficientes; nimirum infidelibus, Judæis, peccatoribus etiam obduratis, ipsis quoque parvulis qui non baptizantur.

EXTITIT aliquando in rerum natura Prædestinationum hæresis. In eo præsertim posita est, quod assererent, Deum aliquos ita prædestinare ad vitam æternam, ut necessitet ad bene operandum; alios ita excludere, ut ad malum necessario impellerent. Probabile est, nonnullos e Monachis Adumetinis fuisse Prædestinarios. Probabilis est, ante Cælestini, immo Augustini mortem, in Galliis emerisse hæresim Prædestinarianam. Constat, omnino fuisse aliquos Prædestinarios quinto sæculo, si non viventibus Augustino, & Cælestino, saltem annis consequentibus. Gotescalchus Monachus nono sæculo hæresim Prædestinarianam recoxit, & ob eam damnatus fuit.

DIVINÆ gratiæ efficacitas non in eo sita est, quod ita moveat hominem ad bonum, ut non possit huic motioni resistere, seu quod voluntatem physice prædeterminet, aut etiam moraliter ob specialem congruitatem. Gratia igitur efficax, sumpta physice, & secundum entitatem, non differt a sufficienti, sed moraliter tantum, & in ratione beneficii, quatenus datur a Deo ex prævisione futuri consensus, & ex speciali affectu, ut consensus sequatur: hinc constituitur efficax per ipsam solam positionem effectus; nam antecedenter ad effectum positum, & in actu primo efficaciam habet, seu connexionem cum effectu infallibilem, non intrinsecam illam quidem, sed extrinsecam.

RECTE conciliatur libertas cum gratia efficaci per scientiam conditionatorum; hæc enim scientiam in Deo existere, nemo est fere e Theologis, qui neget, post clara Scripturæ testimonia, apertasque Patrum sententias: easque admittunt Divi Thomæ, ac Scotii discipuli, fatenturque ultra, non sufficere scientiam conjecturalem. Ne tamen magnæ lites fecerunt unquam, hæc scientiam pendere volunt a decreto quodam absoluto ex parte actus; quod decretum multas ob causas rejiciendum esse, censemus. Dicendum itaque, potius decretum absolutum dandæ gratiæ dirigi a scientia conditionatorum, quam obrem scientiam, quæ Media vulgo appellatur, defendimus.

JUSTIFICATIO impij non est sola remissio peccatorum, sed est sanctificatio per voluntariam susceptionem gratiæ, & donorum. Per eam peccata vere delentur, non solum teguntur. Datur forma sanctificans interior, & creata, distin-

cta ab omni actu. Actus Charitatis, & perfectæ Contritionis non justificat formaliter. Gratia sanctificans non distinguitur realiter a Charitate habituali. Augeri potest, & amitti; repugnat absolute peccato mortali; potest tamen absolute peccatum mortale remitti, absque infusione gratiæ, per condonationem mere extrinsecam. Fides prærequiritur ad justificationem, at non sufficit. Nemo est physice certus de sua justitia.

DATUR meritum supernaturale, quod est effectus gratiæ. Aliud est condignum, aliud congruum. Ad condignum requiritur, ex parte operantis, status viæ, & gratiæ: Ex parte operis, ut sit actus positivus, liber a necessitate simplici, honestus in individuo, supernaturalis in substantia. Non est autem necesse, ut sit a Charitate elicitus, aut imperatus. Ex parte præstantis requiritur promissio, qua seclusa, bona iustorum opera nullum causant in Deo debitum præmii. Meritum congruum debet esse actus vioris, & liber, & honestus, & supernaturalis. Huic non est necessaria, nec contraria promissio; similiter status gratiæ. Hinc omnia opera, quæ sunt a peccatore, non sunt peccata.

HOMO non potest mereri primam gratiam actualem congrue, nec primam habitualem condigne: Immo iustus non potest merito condigno, aut congruo infallibili, sibi, aut alteri mereri gratiam perseverandi, a peccato resurgendi post lapsum, aliamve gratiam actualem: potest, & quidem condigne, sibi mereri gratiæ habitualis, aut gloriæ augmentum, ipsamque vitam æternam. Quamvis Contritio peccatoris non mereatur de condigno primum gradum gratiæ habitualis; meretur tamen primum gradum gloriæ. Condignitas meriti non est perfecta æqualitas ejus valoris cum valore præmii infiniti: hinc Deus remunerat supra condignum. Augent meritum, quæ augent bonitatem actus.

PROBABILIS nobis videtur, & fidelium animis ad salutis studium erigendis accommodatus, formalem electionem ad gloriam reipsa factam esse post prævia merita. Quamquam non negamus, rem absolute potuisse aliter fieri. Quin etiam in negotio prædestinationis non videtur esse necessario admittendæ prædefinitiones bonorum operum. Datur, ex parte reprobis, causa reprobationis, stricte dictæ, videlicet, ejus iniquitas finalis, seu in termino viæ, ante cujus absolutam prævisionem nullus positive destinatur ad æterna supplicia, nec excluditur a gloria cælesti. Reprobatio itaque positiva fit post prævisam mortem in statu peccati, sive personalis, sive originalis.

Has Theses, Deo Duce, & auspice Deipara, propugnabit

THOMAS GUILLELMUS BENARD, Cadomæus.

Die Lunæ, 15. Junii, anni 1699. hora secunda cum media pomeridiana.

In Regio Societatis Jesu Collegio celeberrimæ Academiæ Cadomensis.

Cadomi, apud JOANNEM CAVELIER, Regis, & Academiæ Typographum.

E X C E R P T U M

Ex dictatis Theologi Collegii Cadomenfis Societatis Jefu.

Appendix hiftorica ad difertationem de Doctrina Molinae.

RATIO conciliandi libertatem cum gratia per Scientiam-mediam, & efficaciam gratia extrinsecam, Molinae nec somnium, nec inventum est, ut aliqui dolo malo fingunt.

Hæc doctrina, velut pretiofa quædam margarita, visa est cretere procellas inter, & turbines, & ex magnorum virorum oppugnationibus foetidior in dies, nitidior, atque auguftior effecla est.

Multis in locis iudicia multa subit, & ubique præclara habuit innocentia testimonia. Nam T. Lusitana Inquisitionis Senatus Molinae causam, & patrocinium suscepit. 2. Doctrinam ejus approbavit Academia Complutensis post annum examen. Recepta quoque Salmanticensis. 3. Clemens VIII. potestatem fecit eam publice profiteri. 4. Lovanienfium Doctorem injustam contra Lessium Censuram correperat jam ante Sixtus V. Lessii Doctrinam suam esse, dicens, & præcipua ejus capita approbans, ut articulos sanæ doctrinae. 5. Romæ quidem in Molinae libro notata primò fuere privatis aliquot Theologorum censuris propositionibus sexaginta; sed præcipiti, ut postea apparuit, iudicio, mox viginti tantum; tum sex, aut septem. Mira Censuram inconstantia! Verum, prioribus iudiciis retractatis, totus, nec uno quidem apice excepto, Molinae liber indennis evasit, & censura omni liberatus est; idque supremi Censoris, seu Pontificis Pauli V. sententia, & post 47. disputaciones, partim co-

ram ipso, partim coram prædecessore ejus habitas, ita eruditus Molinae partus, positus in fornace examinis Pontificii, ut loquitur Sylvester Maurolicus, sæpius igne probatus, deprehensum est aurum, omnibus numeris probatissimum.

Acta Congregationum super questione de Auxiliis, sub nomine Francisci Pægnæ, & narrationibus Patris Lemos, nec non autographum Bullæ Pauli V. contra Molinae doctrinam nullius esse fidei, declarat Innocentius X. nec ab alterutra parte, aut a quopiam alio allegari posse, aut debere.

Hinc colliges, Molinae, ac Societatis doctrinam, post longa viginti annorum certamina, victoriam, non dico offensivam, sed defensivam palmam obtinuisse: cujusmodi victoria gloriatur civitas, quæ, oppugnantium insulcibus fortiter repressis, est tandem, sua virtute propria, a diuturna hostium obsidione liberata.

Solida hæc est ratio Patris Annati. Intenderunt, inquit, aggressores Scientia-medie, ut illius assertio notaretur, & prohiberetur; Defensores e contrario, ut liceret, imitam ejus tradendæ, ac tuendæ possessionem retinere. In hoc autem genere litium qui provisoriam, ut loquuntur, obtinet, ille interim victor existit. Atqui defensores Scientia-medie provisoriam obtinuerunt a Summis Pontificibus. Ergo &c.

Porro hæc victoria Doctrinae nostræ probabilitatem firmat, & auget, ut fatis patet.

X X V.

A U C T A R I U M
DE PECCATO PHILOSOPHICO,

Ad Caput XLVIII. Libri III.

Quam intentis animis incumbant Societatis Patres in peccatum Philosophicum denuo instaurandum, monueram, illius Capitis initio, referre contentus, quam nuper scenam Germanus Becheferius, Societatis in Parisiensi Collegio Theologus, explicuerat, ut hoc scholæ suæ placitum novam in lucem ederet. Sed cum ad illud consilium exsequendum alii aliis viarum diverticulis progrediantur, operæ pretium putavi, duobus, vel tribus aliis, usque recentissimis, exemplis sociorum mentem certiorum lectori facere; præsertim cum eorum nonnulli, dum Philosophici peccati errorem se simulant, pejus aliquid in ejus locum substituant: in hoc unum omnes intenti, ut peccatores a peccati reatu, æternæque, vel etiam temporali omni pœna, securos faciant.

Principium illis omnibus commune hoc est, eum peccati culpa carere, Deumque non offendere, cui nullum sufficiens gratiæ actualis auxilium præsto fuerit, quo illius mens illustretur, exciteturque voluntas. Ex illo principio deduxerunt

Becheferius pravum istud dogma: Peccatori plane obæcato, & indurato peccata non imputari; qui secus sentirent, errare.

Thesis Jesuitarum Lugdunensium, ejusque Censura.
Jesuitæ Lugdunenses (1) Theses Theologicas propugnaverunt 26. Augusti, anni 1697. inter quas hæc de peccatis quarta legitur. *Dari non potest peccatum mere Philosophicum. Verum, est esse possibile, factum est, ut nonnullis crasso errore placuit, hæc opinione excusari posse omnia scelera peccatissimorum hominum.*

(2) Enimvero Professor ille fingit, sibi, suisque collegis impossibile haberi peccatum mere Philosophicum, ut securus illudat Decreto, quo Alexander PP. VIII. insautum illud, & erroneum dogma proscriptum voluit cum suis consequentiis. Sed juvat, hic inferere doctissimi & Sancti Thomæ Scholæ Theologi, celeberrimique simul Scriptoris censuram, qua non ita pridem Thesim illam publice notavit.

(3) Hæc propositio, inquit ille, quatenus negat,

(1) Lion. (2) V. Lib. cui titulus. Theses Theolog. Jesuitar. Lugd. die 26. Augusti. 1697. propugnatae Censoris notis disunctæ, & confixæ. De peccatis propof. 4. habetur in Collectione Gallica, pro Defensione Moralis, & Gratia Christianæ Tomo 2. pag. 30. (3) Censura.

449 AUCTARIUM DE PECCATO PHILOS. 450

gat, ex peccato mere Philosophico sequi, ut excusentur omnia scelera peccatissimorum hominum, qui Deum vel ignorant, vel de Deo actu non cogitant, falsa est: Illud Decreto Alexandri VIII. Pontificis Optimi Maximi, die 24. Augusti 1690. edito, quo peccati Philosophici confessorium illud damnatur: viam aperit ad propugnandam errorem, & temerariam peccati Philosophici doctrinam, cum eam innoxiam esse, & a perniciosis, scandalosaque consequentia divulsam, contendit. Opinionem præterea vocat Propositionem, quæ ab Ecclesia damnata est, ut erronea. Hac opinione, &c. Excusari denique posse omnia scelera peccatissimorum hominum hac (ut loquitur) opinione negat: excusari posse plurima, vel certe aliqua, non difficitur, quæ scilicet ab eo sunt, qui Deum vel ignorant, vel de Deo actu non cogitant. Vel eatenus excusari negat, ut gravia peccata non sint, quamvis eatenus excusari forte velit, ut non sint offensa Dei, neque peccata mortalia, & æterna pœna digna, ut peccati Philosophici Vindices locuti sunt.

Secunda Propositio, ab Alexandro VIII. damnata.

Peccatum Philosophicum, seu Morale, (1) est actus humanus, disconveniens naturæ rationali, & rectæ rationi: Theologicum vero, & mortale, est transgressio libera Divinae Legis. Philosophicum, quantumvis grave, in illo, qui Deum ignorat, vel de Deo actu non cogitat, est grave peccatum; sed non est offensa Dei, neque peccatum mortale, dissolvens amicitiam Dei, neque æterna pœna dignum.

Secundam hæc Propositionem Summus Pontifex declaravit scandalosam, temerariam, piarum aurium offensivam esse, sicuti damnat, & prohibet: ita ut quicumque illam docuerit, defendit, aut de ea etiam disputaverit publice, seu privatim, nisi forsitan impugnando, ipso facto incidat in excommunicationem, a qua non possit ab alio, (præterquam in articulo mortis) nisi a Romano Pontifice absolvi.

Actio, vel omissio, quæ non est libera transgressio Divinae Legis, ad peccatum non imputatur, nec æternæ damnationis reum hominem constituit. Peccatum usque adeo voluntarium est malum, (2) ut nullo modo sit peccatum, si non sit voluntarium: & hoc quidem ita manifestum est, ut nulla hinc doctorum paucitas, nulla indoctorum turba dissentiat. Quare aut negandum est, peccatum committi, aut fatendum est, voluntate committi; utriusque libera. Unde a S. Augustino alibi definitur: (3) *Voluntas retinendi, vel consequendi; quod iustitia vetat, & unde liberum est abstinere.* Itaque, si possibile esset peccatum, quod mere Philosophicum appellatur, actus scilicet humanus, disconveniens naturæ rationali, & rectæ rationi, qui tamen non esset transgressio libera Divinae Legis, non esset offensa Dei, neque hominem faceret æternæ pœnae obnoxium.

Thesis itaque illud Pontificio Decreto, cum id sequi negat, etiam si peccatum mere Philosophicum asseratur; & systema erroneum, temerarium, & scandalosum peccati Philosophici, a Sede Apostolica damnatum, innoxium esse, oblique propugnat, & ad questionem duntaxat metaphysicam de possibili pertinere, innuit. Huc usque Viri Clarissimi Censura.

Dictata, & Thesis Autistiodorensium (4) Jesuitarum.

Verum a Theologorum adytis ad Philosophorum Scholas descendamus. Nam peccatum Philosophicum, ab illis male exceptum, ad Philosophicam Gymnasia, velut ad natale solum, confugit, amicam sedem, ac tutiores latebras in adolescentium mentibus inventurum se, confidens. Pronis enim auribus auscultant, suspicant, mirantur, ac tenaci memoria retinent rudiores illi sapientiæ candidati, quæcumque sibi a loquacibus magistris confidentius traduntur, veluti certiora instituendæ moralis vitæ principia. Illorum pars maxima, proni ad vitia, Legi Divinae parum intenti, ad peccati malitiam vix aliquando animum advertentes, ab agenda de admittis penitentia abhorrentes, avide accipiunt ea morum præcepta, quæ liberiori indoli, ac lubricæ ætati gratificantur, impunitatem promittunt, ab importunis de penitentia necessitate cogitationibus liberant, ac peccandi libertatem omnis reatus vacuum, nullique pœnae obnoxiam, tanto ampliore indulgent, quanto minus de Deo, ejusque Lege, aut de peccati malitia, ac turpitudine miseri discipuli cogitant. Denique cum plerique ejusmodi Philosophiæ studiosi ad Theologicam palæstram inde non transeant, sed alii aliud in sæculo vitæ genus fortiantur, a Theologia alienum, iisdem præceptis, quibus male imbuti sunt a Philosophiæ Professoribus, ad seram plerumque ætatem retinent, & ad illam vitam, morefque componunt.

Hujusmodi est doctrina, quam discipulis suis tradidit Pater Debar, Augustodunensis, in Autistiodorensi Societatis Collegio, anno proxime elapso 1700., Philosophiæ Professor. Sic ille in disputatione I. de Moralitate actuum humanorum in genere.

Quæres I. Quid sit actus moralis? Respondeo, actum moralem definitur posse eum, qui sit libere, & cum advertentia ad rationes æternas, hoc est ad honestatem, aut ad turpitudinem.

Dicitur I. is, qui sit libere, quia per actum moralem eum communiter intelligimus, qui est imputabilis ad laudem, aut ad vituperium. Solus autem actus liber potest esse talis.

Dicitur 2. qui sit cum advertentia ad honestatem, aut turpitudinem: nam si fiat cum advertentia ad rationem commodi, aut incommodi, poterit quidem esse liber, sed non erit moralis. Unde vides, omnem actum moralem esse liberum; sed non vicissim omnem actum liberum esse moralem.

Quam in scholastico pulvere auditoribus suis explicuerat doctrinam, eandem in publica urbis luce propugnavit idem Professor Autistiodorensis, mense Augusto ejusdem anni. Hæc sunt Theses defensionis verba: *Est in homine libertas arbitrii, ad meritum morale sufficiens, cujus essentia consistit in activa contradictionis indifferencia. Finis, ut finis, non est libertatis objectum. Sedem habet in voluntate libertas, radicem in intellectu. Exercitium libertatis vel positivum est, vel negativum: istud est actus positivus; hoc, omisso actus. Actus moralis dicitur ille, qui fit non solum cum libertate, sed etiam cum advertentia ad regulas morum.*

Dictata, & Thesis Rhemensium (5) Jesuitarum.

Eundem errorem in adolescentium Rhemensium animos intillavit eodem anno Pater de Briel, Philosophi.

(1) Probatio Censura. (2) S. Aug. lib. de vera relig. c. 4. (3) Lib. de duabus Anim. cont. Manich. cap. 11. (4) Auxerre. (5) Reims.

Philosophia Professor in Rhemensi Jesuitarum Collegio; nec dubium, quin pariter in Sedanensi, & Carolopolitano Collegiis idem error diffeminetur a Sociis, illic Philosophia Magistris.

En excerptum damus Scriptorum Rhemensis Professoris, quæ ex dicantis ore excerpta sunt, & a tribus illius discipulis representata, ac diligentissime cum diversis illorum exemplaribus sunt collata.

ASSERTIO V.

Moralitas actus est denominatio extrinseca actui, ducta ab advertentia agentis ad regulam morum.

Probatur. Posita præcise advertentia agentis ad regulam morum, actus fit moralis; sublata, actus non est moralis: ergo moralitas actus petitur extrinsece ab illa advertentia.

Consequentia patet. Antecedens probatur; quia in tantum actus dicitur moralis, in quantum agens advertit, utrum actus a regula morum imperetur, aut prohibeatur, aut permittatur.

Res illustratur exemplo. Fac enim, V. G. Petrum die veneris comedere carnes, ita tamen, ut primo quadrante ad nullam omnino regulam advertat, neque prohibentem, neque permittentem; sequente quadrante advertat: tunc actus ille primo quadrante non erit moralis, sed pure naturalis, perinde ac si dormiendo comederet; secundo vero quadrante idem ille actus fiet moralis, & quidem malus, si advertat ad regulam prohibentem. Idem porro dici debet de omni alio actu.

RESOLVUNTUR DIFFICULTATES.

Objicies. Moralitas est aliquid intrinsecum actui: ergo non est denominatio pure extrinseca. Respondeo, nego antecedens. Probatur. Moralitas actus est dependentia actus ab advertentia agentis ad regulam morum: sed hæc dependentia est intrinseca actui, sicut omnis alia relatio: ergo moralitas est aliquid intrinsecum actui.

Respondeo. Nego majorem. Nam moralitas dependet quidem ab advertentia, sed non est ipsa dependentia; sicut denominatio visi in pariete dependet quidem a visione, sed non est dependentia a visione.

Instabis 1. Atqui moralitas non est tantum denominatio, ducta extrinsece ab illa advertentia: Ergo est ipsa formalis dependentia actus a tali advertentia.

Respondeo, nego subsumptum.

Probatur. Plures actus independenter ab advertentia sunt morales; ergo moralitas non est denominatio, ducta extrinsece ab illa advertentia. Respondeo, nego antecedens.

Probatur. Ille actus est moralis, qui habet vim inducendi bonos, aut malos mores; sed plures actus independenter ab advertentia habent hanc vim: ergo plures actus independenter ab advertentia sunt morales.

Respondeo. Distinguo majorem. Qui habet vim inducendi bonos aut malos mores formaliter, concedo: fundamentaliter tantum, nego mal. & distinguo minorem. Plures actus independenter ab advertentia habent hanc vim, id est, habent vim inducendi bonos, aut malos mores fundamentaliter, esto; formaliter, nego minorem, & distinguo consequens. Ergo plures actus independenter ab advertentia sunt morales: fundamentaliter, esto; formaliter, nego consequentiam. Dico itaque, eo modo actum esse moralem, quo inducit bonos, aut malos mores. Prædicti autem actus,

quandiu sunt sine advertentia, inducunt tantum mores, fundamentaliter bonos, aut malos: unde sunt etiam tantum fundamentaliter morales.

Instabis 2. Atqui non potest intelligi moralitas actus, nisi per aliquod intrinsecum actui: ergo nulla solutio.

Respondeo, nego subsumptum. Probatur: Bonitas, & malitia sunt quid intrinsecum actui; ergo & moralitas. Respondeo, concedo antecedens, nego consequentiam. Probatur. Bonitas, & malitia sunt differentia specificæ, quarum moralitas est genus; nam actus dividitur in moralem, & in non moralem; & moralis in bonum, & malum; atqui ubi species sunt intrinsece, genus est etiam intrinsecum; ergo, si bonitas, & malitia sunt quid intrinsecum actui, etiam moralitas est quid intrinsecum.

Respondeo, distingo majorem. Bonitas, & malitia sunt species, quarum moralitas est genus, prout genus significat partem essentialem speciei, nego; prout significat quemcumque terminum superiorem, licet accidentalem, & extrinsecum. permitto majorem, & distingo minorem. Ubi species sunt intrinsece, etiam genus est intrinsecum, si per genus significatur pars essentialis, concedo; si significatur tantum terminus superior, licet extrinsecus, & accidentalis, nego minorem, & consequentiam. Certe determinatio visi potest dici genus respectu hujus, vel illius coloris visi; non tamen est propterea denominatio intrinseca, sicuti est denominatio colorati. Permissi supra majorem: Ratio est, quia, sicut actus moralis dividitur in bonum, & malum, sic potest etiam actus de se vel bonus, vel malus dividi in moralem, & non moralem: unde sunt termini excedentes, & excessi; quare neuter est genus respectu alterius.

Inst. 3. Moralitas actus est principium meriti, quod est in actus; ergo est aliquid intrinsecum actui. Respondeo: nego ant. est enim tantum conditio, sine qua actus non esset in actu secundo meritorius. Quod si aliquando dicitur principium meriti, tunc est principium late sumitur pro quocumque requisito ad meritum.

Inst. 4. Libenter quaerem, an denominatio moralis, sicut & liberi, æque primario conveniat actui externo, ac interno? Respondeo, primario, & immediate convenire actui interno, actui vero externo mediate, & secundario. Ratio est, quia in tantum actus externus est liber, & moralis, in quantum imperatur ab interno. Ergo prius est, internum esse liberum, & moralem, quam externum.

Hactenus Patris de Briel verba in scriptis privatim dictatis. Idem nunc audiendus, eandem doctrinam publice propugnans in Thesibus, publicæ disputationi expositis 23. & 24. die mensis Augusti, anni proxime elapsi 1700. In secunda ergo Columna e tribus, in quas Theses dividuntur, hæc Propositio habetur: *Moralitas actus humani nihil aliud est, quam denominatio extrinseca actui, ducta ab advertentia agentis ad regulam morum, unde actus moralis appellatur.* Hucusque Professor.

Infinite sim, si omnes ejusmodi Propositiones e publicis Jesuitarum Thesibus referre velim. En tamen adhuc aliam, quam 27. Julii anni 1697. propugnavit Aginensæ Societatis Collegium: *Actum humanum, & moralem distinguimus; alius a libertate est præcise; alius a libertate quidem, sed cum advertentia ad aliquam regulam morum; unde admittimus, posse dari aliquos actus indifferentes, etiam in individuo, & non tantum in specie. In actibus autem moralibus, actui interno efficaci, nihil*

nihil per se loquendo, bonitatis, vel malitiæ actus externus addere potest.

CLARA sunt verba, nec interprete indigent, sed Episcopali auctoritate, quæ in tam pestilentem doctrinam Ecclesiasticæ Censuræ gladium exarat, recitatque repulsiore exciæ nuper malæ arboris furculos, Philosophici, inquam, peccati, ab Apostolica Sede proscripti: quod frustra a Theologorum confessibus eliminatum fuerit, si tamen eliminatum, quandiu per Philosophia:

scholas impune grassari, adolescentium mentes inficere, lethaleque virus longe, lateque spargere finitur. Plura non addam, ne Illustrissimum Antistitem sententiam antevertere videar. Servorum est Patrisfamilias de superferentis in ejus agro zizanias monere: illius est Messoribus suis, seu auctoritatis suæ Vicariis præcipere, ut zizania colligant, & alligent in fasciculos ad comburendum.

X X V I.

SCRIPTUM REVERENDI PATRIS THOMÆ DE LEMOS,

Paulo V. datum, die 13. Februarii 1605.

Adversus Thomistica, & Calvinianæ doctrinæ collationem, a Ferdinando de Barida in solemni Congregatione recitatam, die 10. Januarii.
Ex Coronelli Commentariis. (1)

Aperta differentia inter Catholicorum doctrinam, defendentium efficaciam Divinæ gratiæ, & impiam sententiam Calvini, negantis arbitrii nostri libertatem. Per F. Thomam de Lemos, contra quemdam novum Collatorem, qui eos convenire diffamat.

Bellum, quod olim adversus S. Augustinum publicabatur, quod cum Manichæis conveniret, quia efficaciam Dei gratiam prædicabat, quamvis per eundem Sanctum Doctorem, ac D. Prosperum, & Hilarium, immo Pontifices summos, qui ejus approbarunt doctrinam, feliciter satis fuerit superatum, adhuc temporibus istis, sub nomine quorundam Discipulorum Sancti Thomæ, suppresso nomine Augustini, iterum indicitur, & undique renovatur; dum quidam, contracta arma colligentes, hinc Catholicorum inducunt verba, inde Calvini referunt dicta; & collationes ad invicem facta, eos in ablatione humanæ Libertatis convenire, diffamant. In quo, ut verbis S. Augustini utar, Lib. 2. ad Bonifacium, cap. 1. *duo faciunt mala; unum, quod Catholicos Manicheorum nomine criminantur; alterum, quod etiam ipsi hæreses novi erroris inducant.* Ut ergo desinat Catholicis obicere, quod non sunt; nec ideo se velint haberi amabiles, quia odioso Calvinistarum adversantur errori; sed merito se cognoscant odibiles, quia suum averfantur errorem; brevitate summa, per omnia, quæ opponuntur, decurrens, Deo adjuvante, plene, dilucideque monstrabo, quam sine fundamento, hoc contractum, & comminutum argumentandi genus instaurant.

CAPUT I.

Respondetur ad viginti objectiones, seu comparationes, institutas in scripto novi Collatoris.

Prima obiectio, seu comparatio prima ita formatur: *Auxilium Dei secundum se, sive a se ipso, est efficax, ita ut ipsius efficaciam nec pendat a voluntate, nec possit ab eadem efficax, vel inefficax reddi.* In propositione dicuntur Catholici, defendentes efficaciam gratiæ, cum Calvino convenire: quod, relatis, & ad invicem comparatis Catholicorum, & Calvini verbis, suadere procurant, in citatis ibidem locis.

Respondeo, relatos ibi Catholicos hanc propositionem adversus Pelagianos defendere; intelligendo tamen, auxilium esse efficax de se solo, id est, ut venit a solo Deo, independenter a voluntate creata. In quo nullo modo cum Calvino conveniunt, sed cum S. Augustino, cujus perpetua est ista doctrina in Libris contra Pelagianos, quorum innumera poterant induci testimonia; sed ob brevitatem omittuntur. Videatur S. Doctor Serry Tom. II.

(1) Ad c. 2. sect. 7. l. 5.

Lib. de Lib. Arb. cap. 5. lib. 1. contra duas Epistolas Pelagianorum, cap. 20. & lib. 2. cap. 1. & 6. Conveniunt etiam cum S. Thoma, in numeris suæ doctrinæ locis, & cum Cælestino I. Decretali ad Episcopos Galliæ, cum Concilio Arausicano II. can. 4. & 9. *Nunquid homines Dei* (ut verbis S. Augustini utar lib. 1. ad Bonif. cap. 20.) *qui hæc scripserunt, imo ipse Spiritus Dei, quo auctore ista per eos scripta sunt, impugnavit liberum hominis arbitrium?* Nunquid, quia docuit, Deum efficaci sua potestate immutare hominis voluntatem, quo sibi placuerit, cum Calvino convenit? Absit. Qui ergo modo contendunt, relatos Sancti Thomæ discipulos, Calvinistarum nomine, criminari; ipsos sanctos Patres, & Pontifices summos, suppresso illorum nomine, criminantur. Calvinus ergo, cum hanc partem primam asseruit, non erravit; (Nec enim in omnibus hæretici errant;) sed in illa cum Ecclesia adversus Pelagianos convenit ipse: sicut nec cum Calvino conveniunt, qui Orationem Dominicam admittunt, quam Calvinus dicit esse admittendam. Quod autem opponitur, Catholicos citatos ulterius proterem, quam Calvinum, E e e di.